

ΠΑΝΕΠΙΣΤΗΜΙΟ ΙΩΑΝΝΙΝΩΝ  
ΤΟΜΕΑΣ ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΣ  
ΕΡΓΑΣΤΗΡΙΟ ΕΡΕΥΝΩΝ ΝΕΟΕΛΛΗΝΙΚΗΣ ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΣ  
ΔΙΕΥΘΥΝΤΗΣ: ΑΝ. ΚΑΘΗΓΗΤΗΣ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΣ Θ. ΠΕΤΣΙΟΣ

# ΑΡΓΥΡΟΠΟΥΛΕΙΑ

Ε.γ.Δ της Κ.τ.Π  
ΙΩΑΝΝΙΝΑ 2007

ΠΑΝΕΠΙΣΤΗΜΙΟ ΙΩΑΝΝΙΝΩΝ  
ΤΟΜΕΑΣ ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΣ  
ΕΡΓΑΣΤΗΡΙΟ ΕΡΕΥΝΩΝ ΝΕΟΕΛΛΗΝΙΚΗΣ ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΣ  
ΔΙΕΥΘΥΝΤΗΣ: ΑΝ. ΚΑΘΗΓΗΤΗΣ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΣ Θ. ΠΕΤΣΙΟΣ

Ε.γ.Δ της Κ.τ.Π  
ΙΩΑΝΝΙΝΑ 2007

ΑΠΟΦΑΣΕΙΣ ΤΗΣ ΑΥΘΕΝΤΙΑΣ ΤΗΣ ΦΛΩΡΕΝΤΙΑΣ  
ΠΕΡΙ ΙΩΑΝΝΟΥ ΑΡΓΥΡΟΠΟΥΛΟΥ

1.

(5 'Οκτωβρίου 1458).

Magnifici et potentes Domini domini Priores Artium et Vexillifer iustitie Populi et Comunis Florentie, una cum eorum venerabilibus Collegiis etc.\*\* deliberaverunt: Quod Officiales Montis Comunis Florentie et seu eorum capserius, de pecunia propterea deputata, dent et solvant Christoforo Bartholomei Landini de Prato veteri, conducto ad legendum publice in Studio florentino, in facultate Oratoria et Poesis, pro duobus annis initiatis die XVIII ianuarii 1457, cum salario ad rationem florenorum centum pro quolibet anno dictorum duorum annorum, pro eius secunda terzaria primi anni, florenos triginta tres et unum tertium alterius floreni.

Item etc. refirmaverunt et de novo elegerunt et deputaverunt prestantissimum virum totius phylosophie clarissimum professorem dominum Iohannem Manuelis Argiropolum Costantinopolitanum, pro duobus annis immediate securis, finito tempore sue primeve electionis, pro qua ad presens legit in dicto Studio florentino; et cum salario florenorum quatringerorum pro quolibet anno dictorum duorum annorum, sibi solvendorum de pecuniis et assignamentis pro expensis Studii florentini deputatis et seu deputandis, et de quibus et prout sibi solvitur ad presens.

\* 'Η απόφασις αὐτή σώζεται ἐν τῷ Δημοσίῳ ἀρχείῳ τῆς Φλωρεντίας (R. Archivio di Stato) ἐν τῷ τμήματι Delib. SS. CC. s. s. 160, 7 καὶ ἐξεδόθη ὑπὸ τοῦ 'Αλεξάνδρου Gherardi (Statuti della Università e Studio Fiorentino ἐν τῷ Ζ' τόμῳ τῶν Documenti di Storia Fiorentina pubblicati a cura della R. Deputazione sugli studi di storia patria per le provincie di Toscana, dell' Umbria e delle Marche. 'Ἐν Φλωρεντία. 1881 σ. 467 ὑπ' ἀρ. CCXI).

\*\* Διὰ τοῦ etc. ἐσημείωσεν ὁ Gherardi, καθ' ἃ δηλοῖ ἐν σ. XX τοῦ Προλόγου, παραλειπόμενά τινα κατ' οὐδὲν παραβλάπτοντα τὴν κατανόησιν τοῦ κειμένου

## 2\*.

(23 'Ιουλίου 1471).

Audita expositione coram eis facta, magnifici et excelsi Domini domini Priores libertatis et Vexillifer iustitie Populi Florentini, pro parte domini Iohannis Manuelis de Constantinopoli, continente quemadmodum ipse per multos annos legit in Studio florentino, vigore conductarum et electionum de eo factarum diversis temporibus, quarum ultima fuit facta de mense octobris 1466, per Balam tum vigentem, pro quinque annis proxime futuris initiatis die 5 februarii 1466, cum salario florenorum 400 ad libras 4 pro floreno, pro quolibet anno; et quod usque nunc, de dicta ultima conducta, dicit quod restat creditor vestri Comunis de florenis milleducentis vel circiter; et cum debeat discedere et ire ad partes Ungarie, ut possit prius satisfacere multis suis creditoribus, cuperet sibi de dicto suo credito satisfieri: et intellectis predictis, cognoscentes magnifici Domini prefati conveniens esse eidem satisfacere, et scientes per viam Montis talem solutionem, secundum iam ordinata, fieri non posse; propterea, ut eidem satisfiat, prout decet, providetur: Quod ex nunc, vigore presentis provisionis, per massarios et capserium Camere Comunis Florentie, de quibuscumque pecuniis ad eorum manus preventis et seu perveniendis, de quibuscumque assignamentis capse Catastorum, solvi debeat dicto domino Iohanni Manuelis de Constantinopoli, vel eius legitimo procuratori, id totum de quo restat et est creditor Comunis Flo-

\* 'Η απόφασις αὕτη σώζεται ἐν τῷ Δημοσίῳ ἀρχεῖῳ τῆς Φλωρεντίας (R. Archivio di Stato), ἐν τῷ πέμπτῳ βιβλίῳ τῶν Statuti del Popolo e Comune di Firenze καὶ ἐξεδόθη ὑπὸ τοῦ Ἀλεξάνδρου Gherardi (Statuti della Università e Studio Fiorentino ἐν τῷ Ζ' Τόμῳ τῶν Documenti di Storia Italiana pubblicati a cura della R. Deputazione sugli studi di storia patria per le provincie di Toscana, dell' Umbria e delle Marche. Ἐν Φλωρεντίᾳ. 1881 σ. 492 κ. ἐ. ὑπ' ἀρ. X).

rentie seu Montis dicti Comunis usque nunc, pro conducta seu electione de eo facta de mense octobris 1466 per Balam, ad legendum in Studio florentino, habita fide clara de eo de quo restat et est creditor, faciendo etiam retentiones in huiusmodi solutionibus fieri et consuetus etc.\*: faciendo eidem facere finem dicto Comuni in debita et consueta forma; et faciendo aptari scripturas in libris Montis, ubi opus est, et ubi apparet creditor, per ministros dicti Montis, et in libris Camere et alibi ubi foret expediens, per eos ad quos modo aliquo pertineret etc.\*\*

---

3 \*\*\*

(21 'Οκτωβρίου 1466).

---

Magnifici et potentes Domini domini Priores Libertatis Vexillifer iustitie populi florentini; intellecta supplicatione eisdem facta pro parte doctissimi viri domini Iohannis Argyropyli de Constantinopoli, ad presens habitantis in civitate Florentie, in effectu continente: Quod ipse dominus Iohannes commoratus est in hac civitate cum tota eius familia continue annos novem vel circiter, publice docendo in Studio florentino Philosophiam moralem et naturalem et Poesim, et tam grece quam latine, et cum summa fide et diligentia ea omnia faciendo, que et prout facere tenebatur secundum formam

\* 'Ιδε άνωτέρω σ. 331.

\*\* 'Ιδε άνωτέρω σ. 331.

\*\*\* 'Η άπόφαισις αύτη σώζεται έν τῷ Δημοσίῳ ἀρχείῳ τῆς Φλωρεντίας (R. Archivio di Stato), έν τῷ πέμπτῳ βιβλίῳ τῶν Statuti del Popolo e Comune di Firenze, και ἐξεδόθη ὑπό τοῦ Ἀλεξάνδρου Gherardi (Statuti della Università e Studlo Fiorentino έν τῷ Z' Τόμῳ τῶν Documenti di Storia Italiana pubblicati a cura della R. Deputazione sugli studi di storia patria per le provincie di Toscana, dell' Umbria e delle Marche. 'Εν Φλωρεντίᾳ, 1881 σ. 489 κ. ε. ὑπ' ἀρ. X).

electionis de ipso ad id facte per hanc excelsam Dominationem. Et cum, per Dei gratiam, multi e vestris civibus ex sua doctrina plurimum profecerint, et ab eis diligatur et ipse eos diligat, cuperet tam ipse quam eius filii qui in hac civitate, pro maiori parte eorum temporis, sunt educati, in ea suum domicilium firmare, in ipsaque deinceps vivere ac mori; et ut hoc commodius et eum maiori honori et securitate facere posset, cuperet in eius favorem infrascripta et pro privilegio civitatis et pro aliis deliberari, et spem habens in summa clementia huius excelsae Dominationis, ad illam recurrere statuit et supplicare in forma et effectu inferius describendis et volentes supplicationibus prefati domini Iohannis assensum prebere, premissis et facto inter ipsos Dominos et Vexilliferum, die XXI octobris anni suprascripti, solemniter et secreto scrutineo ad fabas nigras et albas, et obtento partito secundum ordinamenta dicti Comunis; et demum postea inter ipsos Dominos et Vexilliferum et alios habentes baliam a publico et generali Parlamento facto in civitate Florentie, die secundo mensis septembris proxime preteriti, premissis facto et celebrato solemniter et secreto scrutineo ad fabas nigras et albas, et obtento partito secundum ordinamenta dicti Comunis, providerunt, ordinaverunt et deliberaverunt; Quod dictus dominus Iohannes et eius filii et descendentes per lineam masculinam, tam nati quam nascituri, intelligantur esse et sint perpetuo veri originarii et antiqui cives civitatis Florentie, et gaudere et potiri possint omnibus et singulis immunitatibus, beneficiis, privilegiis ac favoribus in omnibus et per omnia, quibus et prout gaudere et potiri possunt vel poterunt quicumque veri originarii et antiqui cives civitatis Florentie. Hoc appposito, quod per predicta nulla intelligatur esse concessa facultas acquirendi aut exercendi aliquod officium Comunis vel pro Comuni Florentie, aliter quam per ordinamenta permittatur, quibus per predicta nulla fiat innovatio. Hoc in eius et suorum favorem etiam proviso, quod ipse vel aliquis eorum non teneatur de novo



edificare aliquam domum in civitate Florentie, prout per quedam vetera ordinamenta vestri Comunis disponitur, que quantum ad eos et quemlibet eorum intelligantur esse et sint ex nunc revocata.

Item, possint predicti dominus Johannes et eius filii et descendentes ut supra, et eis liceat inter omnes ut supra, simul vel divisim, in una vice vel pluribus, prout voluerint, emere et quovis alio titulo alienationis acquirere in civitate Florentie unam domum pro ipsorum habitatione, et ultra dictam domum possint acquirere ut supra in comitatu vel districtu Florentie ad eorum beneplacitum, tot de aliis boni immobilibus, quod eorum pretium et extimatio ascendat usque in summam florenorum millequingentorum largorum in totum, et non ultra.

Item, quod dictus dominus Johannes et seu aliquis ex filiis vel descendentes suis per lineam masculinam ut supra, seu eorum vel alicuius eorum bona, directe vel indirecte, non possint modo aliquo reduci vel describi in aliqua distributione onerum civitatis, comitatus vel districtus Florentie, tam ordinariorum quam extraordinariorum, et tam personalium quam realium, vel mixtorum quocumque vocabulo vel nomine nuncupentur, neque ad aliquod tale onus subeundum vel solvendum, modo aliquo cogi, gravari vel compelli possint, personaliter vel in bonis; sed ab omnibus talibus oneribus sint liberi et exempti. Et tamen, quod contra fieret sit ipso iure nullum, et nullam habeat executionem. Et possit et debeat, licite et impune, cancellari, de quocumque libro vel registro in quo talis descriptio facta esset, ubicumque esset, per quoscumque notarios et alios ad quos modo aliquo pertineret vel pertinere posset, visa solum presenti provisione.

Hoc tamen in predictis salvo et reservato quod, non obstantibus predictis vel aliquo predictorum, dicti dominus Johannes et eius filii et descendentes predicti, pro dicta quantitate florenorum millequingentorum largorum expen-

denda in dictis bonis immobilibus ultra domum pro habitatione ut supra dicitur, et seu pro parte ex predictis florenis 1500 larghis, quam expendere seu aliter acquirere contigerit, teneantur et debeant in compensationem beneficii acquirendi de bonis predictis solvere quolibet anno quo durabit exemptio predicta Officialibus Montis vel eorum camerario, pro diminutione Montis recipienti, in pecunia numerata, florenum unum largum pro quolibet centenario florenorum et ad rationem centenarii florenorum, quos predicti vel aliquis eorum expenderit vel aliter acquisiverint, faciendo solutionem dicte quantitatis in duabus pagis, videlicet solvendo medietatem de mense ianuarii et aliam medietatem de mense iulii cuiuslibet anni exemptionis predictae, et ad perdendum et ad lucrum Comunis. Quas solutiones et quamlibet earum prefati dominus Johannes et eius filii, et descendentes predicti et quilibet eorum teneantur et debeant facere in terminis supradictis, sub pena dupli totius eius in quo deficerint in non solvendo ut supra, et pro qualibet vice applicanda Monti pro eius diminutione.

Item, ne in predictis aliqua fraus aut deceptio committatur in damnum Comunis Florentie, providetur: Quod dicti dominus Johannes et eius filii et descendentes predicti et quilibet eorum qui pro tempore emptiones et acquisitiones predictas facerent, teneantur infra XV dies a die cuiuslibet talis emptionis et acquisitionis proxime futuros referre in scriptis talia bona empta vel alio quovis titulo acquisita Officialibus Montis pro tempore existentibus, cum suis vocabulis et confinibus et pretiis suis, et per quos fuerint rogati contractus, et cum aliis demonstrationibus oportunis. Et Officiales Montis curent ne in predictis aliqua fraus committi possit. Et si per supradictos ad quos pertineret non fierent relationes ut supra disponitur, aut fraus aliqua committetur in excusando bona que essent alterius pui deberet supportare onera in civitate, comitatu vel districtu Florentie, tunc his vel altero dictorum casuum contrafacientes amittant presentem gratiam quo ad omnes partes.



Item, predicti dominus Johannes et filii et descendentes, si emerent vel aliter acquirerent aliqua bona immobilia in civitate, comitatu vel districtu Florentie, ultra summam florenorum millequingentorum largorum, et domum supradictam, tunc pro illo pluri dumtaxat debeat illis imponi onus secundum regulam aliorum civium per illos ad quos pertineret; quod solvere teneantur, non obstante supradicta exemptione; et pro illo pluri tractentur in omnibus et per omnia prout alii cives florentini.

Predicta exemptio et inmunitas ab omnibus predictis prout supra est provisum, duret dicto domino Johanni et filiis et descendentes suis ut supra per tempus triginta annorum dumtaxat, initiandorum immediate post conclusionem presentis provisionis, et non ultra vel aliter quoquomodo. Elapsis vero dictis triginta annis exemptionis predictae, dictus dominus Johannes et filii et eius descendentes ut supra superviventes tractentur quantum ad onera et favores, in omnibus et per omnia, prout tractari debebunt veri originarii et antiqui cives civitatis Florentie, qui onera ordinaria civitatis Florentie supportare tenebuntur, et ita observetur per eos ad quos modo aliqua pertinebit. Predicta beneficia et inmunitates non habeant locum nec intelligantur pro gabellis ordinariis cum suis membris.

Item, possint prefati dominus Johannes et filii et descendentes predicti, et quilibet eorum, constituere dotes filiabus eorum super Monte Comunis Florentie in illis quantitibus et pro illis temporibus et terminis ac conditionibus et modo et forma et partibus et effectibus quibus et prout ordinatum est aut deinceps ordinabitur posse constitui pro filiabus quorumcumque originalium et verorum civium civitatis Florentie onera ordinaria in dicta civitate supportantium in omnibus et per omnia. Hoc expresse appposito, quod nullus predictorum possit quovis modo vel titulo, durante tempore dictorum triginta annorum exemptionis predictae, aliter quam pro dictis dotibus, acquirere aliqua alia credita Montium

Comunis Florentie cuiuscumque generis. Et si contrafieret, totum id in quo contrafieret finiri debeat Comuni Florentie, et cedat in diminutionem Montis dicti Comunis etc.\* .

Insuper, considerantes magnifici Domini prefati quantum fuerint utiles lectiones dicti domini Johannis filiis vestrorum civium, et volentes ne vestri cives tali commoditate priverentur; propterea reconduxerunt, refirmaverunt et de novo elegerunt, et sic electum vigore presentis provisionis esse voluerunt et deliberaverunt dictum dominum Johannem ad legendum et docendum in Studio florentino in illis facultatibus, modis, conditionibus, partibus et effectibus quibus et prout tenetur et debet vigore ultime electionis et conducte de ipso ad predicta facte, qua adhuc durat; et cum salario pro quolibet anno ad rationem florenorum quadringentorum, eo modo et prout habuit et habere debuit vigore dicte eius ultime electionis, et pro tempore quinque annorum initiantorum immediate finita dicta eius ultima conducta sive electione. Et sic dicto domino Johanni vel eius procuratori legitimo solvi possit et debeat salarium eius predictum per eos ad quos pertinebit, observatis solemnitatibus et solutionibus consuetis prout hactenus fecit, licite et impune, et omni contradictione cessante.

---

\* \*Ιδε άνωτέρω σ. 331 σημ. \*\*

## 4\*

(8 Νοεμβρίου 1471).

Attendentes magnifici et excelsi domini domini Priores libertatis et Vexillifer iustitie Populi Florentini, quemadmodum dominus Joannes Argyropylus, qui legebat in Studio florentino in philosophia et aliis facultatibus, non legit amplius; et propterea utile esse cognoscentes alium deputare, ad legendum in Studio in facultatibus prout infra etc.\*\* , providerunt, ordinaverunt et deliberaverunt: Quod domini Priores et Vexillifer iustitie, una cum eorum Collegiis pro tempore existentibus, et seu due partes ipsorum, possint conducere ad legendum in Studio florentino unum vel plures, quem vel quos voluerint, dummodo sint forenses; et cum eo salario de quo eis videbitur, non excedendo in totum inter omnes summam florenorum ducentorum pro anno, ad libras quatuor pro floreno, et cum retentionibus consuetis; et pro tempore de quo eis videbitur, non excedendo in totum tres annos, initiandos prout in electione continebitur; et ad legendum in illis facultatibus et cum illis conditionibus, et eo modo et forma de quo et qua et prout per dictos Dominos et Collegia vel ipsorum duas partes in una vice vel pluribus deliberabitur; et tali vel talibus sic conductis solvatur salarium de pagis creditorum Studii existentium super Monte Comunis Florentie, de quatuor mensibus in quatuor menses, precedente stantiamiento, et eo modo et prout solvitur et solvi debet aliis in Studio legentibus; aliquibus in contrarium non obstantibus.

\* 'Η απόφασις αὕτη σώζεται ἐν τῷ δημοσίῳ ἀρχεῖῳ τῆς Φλωρεντίας (R. Archivio di Stato) ἐν τῷ τμήματι Bal. 49 φ. 62<sup>a</sup> καὶ ἐξεδόθη ὑπὸ τοῦ Ἀλεξάνδρου Gherardi (Statuti della Università e Studio Florentino ἐν τῷ Ζ' Τόμῳ τῶν Documenti di Storia Italiana pubblicati a cura della R. Deputazione sugli studi di storia patria per le provincie di Toscana, dell Umbria e delle Marche. Ἐν Φλωρεντίᾳ. 1881 σ. 271 ὑπ' ἀρ. CLXXVII).

\*\* Ἴδε ἀνωτέρω σ. 331 ἐν σημ.\*\*.